No. XXVII.

JOANNES BAPTISTA BUSSIUS VITERBIENSIS.

JOannes Baptista tit. S. Mariæ in Arâ Cœli Cardinalis Bussius, Viterbiensis, Episcopus Anconitanus natus est 2. Aprilis Anno 1657. Patriam nactus Viterbium, quod Fanum Voltumnæ veteres indigitârunt. Haud longè â Volsinensi lacu in Cimini montis jugo situm est, publicis universæ Hetruriæ conventibus olim celebratum. Postea eversis idolis verum in Aris locatum Numen adoravit, & ita adoravit, ut multâ Purpurâ, quam sævissimorum Tyrannorum sanguinolenta sitis extorserat, condecoraretur. Modò etiam Sacrâ Purpurâ Romanâ condecoratur, in quam Bussiorum Viterbiensium gloriosus sanguis immigravit. Jactet se Urbs splendida Viterbium, intra suos catacumbos quatuor summos Orbis Hyerarchas placidè in adventum Domini requiescere; Sed debitum mortuis honorem viventium merita resuscitant. Joannem Baptistam Bussium loquor, Virum â Sapientiâ & Religione spectatissimum, ore disertum, moribus gravem; & qui demum in juribus Pontificiis acerrimè propugnandis nunquam non totus fuit. Quod in suâ ad Coloniensis Nuntiaturâ luculenter exhibuit, ubi inter illos, quibus Germania exagitabatur, belli turbines, Sol omnibus luxit; & ne Ecclesia Coloniensis, urbe â præsidiariis Prussis insessa, detrimenti quidpiam caperet, omni studio invigilavit; & cùm non defuissent, qui velificandum necessitatibus crederent, aliam tamen & laudabiliorem viam Dynasta integerrimus inibat, non passurus ullam vel levis conniventiæ labem suæ Nuntiaturæ adhærescere; etiam Magnatum offensas (quæ plerumque in probissimum quemque cadunt) non reveritus, dum cœli, dum Sacræ Sedis, dum Religionis, quam ubique sartam tectam volebat, causam propugnabat. Probè videlicet recordabatur, se apud cœlebratissimam Ubiorum gentem Nuntium agere, cujus summum in propugnanda Religione studium per tot retro sæcula admirandum in modum emicuisset. Hinc alteram illam, quâ nostra Germania gloriatur, Romam accuratiori studio sibi servandam ducebat. Enimverò Orthodoxa fides, Coloniis Aggripinæ portento ab orbe condito prorsus inaudito, nec fortassis unquam deinceps audiendo introducta, inter decumanas afflantis hæresis procellas simillimo prodigio in hanc usque diem intemerata stetit. Primus Præco & Fundator Religionis fuerat Sanctus Maternus, quem Sanctus Petrus eò immiserat, & qui ab Anno Christi 88. usque ad annum 128. verum Christi Evangelium ibi prædicavit. De eo apud Gellen. libr. 1. Syntag. 5. tradditur, quòd fuerit adolescens in Naim annorum novendecim, quem Christus Salvator noster Anno reparationis nostræ XXXII. in authumno circa idus Septemb. resuscitaverat; qui-

IOANES BAPTISTA S.R.E. PRESBYTER CARDIN.
BUSSIUS VITERBIENSIS EPISCOPUS
ANCONITANUS CREATUS DIE XVIII. MAII. MDCCXII.
ET PUBLICATO DIE XXVI. SEPTEMB. EIUSDEM ANI.

Ioh. Christoph. Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

27.

quíque idem procus Divæ Mariæ Magdalenæ fuisse perhibetur. Ex illo tempore Maternus Christum coluit, ejúsque fidem disseminavit; & cum eo Eucharius & Valerius, viri sanctitate & literis exculti. Iis comitibus in Alsatiam venerat, ut annunciaret Evangelium; ibi in villâ, quæ Legia dicitur, rursus vitâ functus erat; & cùm jaceret quadraginta diebus in sepulchro, acciderat ei, quod ab orbe condito, credo, nulli; Nam altera vice rursus excitatus baculo sancti Petri Apostoli, cui Deus majora, quàm â se patrata miracula promiserat, hîc denique apud Ubios decimam nonam, aliásque legiones, fulminatrices â fortitudine dictas, verum Deum agnoscere fecerat. Præfuerat autem Ecclesiæ Coloniensi ut Pastor & Episcopus, quadraginta integris annis, tot quot in sepulchro latuerat diebus, ab Anno Christi 88., usque ad annum 128. quando Dominicâ post Trinitatem XVI. Evangelium legebatur de se ipso resuscitato in Naim, tertia vice mortuus est. Ætas ejus major fuit 115. annis. Is fuerat Ecclesiæ Coloniensis ortus; neque etiam ingratum lectori opus præstitero, si mirificum Religionis studium, quô Colonienses perpetuò postea exarserunt, unà oculis subjiciam; nec extra thematis mei propositam materiam inutiliter exorbitaturus sum, si luculenter demonstravero, unde Coloniæ Aggripinæ comeritæ sint, ut Nuntius Pontificius, honore in nullam aliam urbium Imperialium cadente, perpetuò in iis resideat. Nolo hîc antiquissima rerum monumenta retexere, licèt Scriptor quidam vetustissimus, ísque haud ignobilis, de eâ Urbe iis verbis usus sit: *Postquam fidem suscepisti Civitas Præ-nobilis, recidua non fuisti; sed in illa stabilis.* In illa posteriora tempora relabor, quibus miraculi instar fuit, Colonias servari potuisse. Quantum non periculum subierat sub Gebhardo Truchsessio, Archiepiscopo aliquando suo & Imperii Septemviro? qui Agnetis Mansfeldiæ amore miserè captus, eò proterviæ prolapsus erat, ut Sacras Insulas maritali vinculo unà colligare vellet, â Protestantibus Germaniæ Principibus facilè inductus, ut novam Sponsam Ecclesiæ Sponsæ Mytratus Antistes superinduceret. Atverò Senatus Populúsque Coloniensis, atque imprimis Archiepiscopalis Collegii Sodales, *fideles* (ut in signatorio annulo præseferunt) *Ecclesiæ Romanæ Filii,* statim Truchsessium, â Gregorio XIII. Pontifice Maximo â fidelium comunione sejunctum, tota ditione expulerunt, Ernesto Bavaro Substituto, qui Ecclesiam suam fideliter adversus expunctum Apostatam tuitus est, insigni eo facto comeritus, ut ab eo anno, (fuerat millesimus, quingentesimus, octuagesimus quartus) ex domo Boica Coloniensis Ecclesia haud interrupta serie Pastores, utpote Sacræ Religionis propugnatores vigilantissimos, assumpserit; econtra Truchsessius in Bataviæ ultimam oram eliminabatur, Sacro Principatu dejectus, è Septemvirûm numero expunctus, oppidis, arcibus, exercitu spoliatus, à Religione Catholica, â Christi Fidelium consortio exul, unam secum Agnetem trahens, veluti damnatus ad funestam malorum suorum originem ante oculos semper habendam, semper adversandam. Multùm dixisse videar; nec tamen adhucdum pro Orthodoxis Coloniis satis. Qualis nova Ubiis tempestas exorta fuerat sub Hermanno Archiepiscopo Anno 1543. qui Bucerum Apostatam Monachum Argentorato Bonnam accersiverat: postea etiam Melanctonem è Saxoniâ evocaverat, qui cum Pistorio, Sarcerio; & ejusmodi farinæ pluribus statim velut ad novum expugnandum Ilium advolaverat. Reclamabat fortissimè, tota, quanta est, Orthodoxa Colonia, Sacræ Sedis Canonici, celeberrima Universitas, unanimi calculo conspirans Senatus, & labis omnis expers plebs civica. Provocabant omnes ad Sacram Sedem, ad Cæsaream Majestatem. Citabatur Hermanus utrobique, comparens nullibi fulminabatur. Mox Superis, hominibúsque invisus, & ex mœrore contabescens, animam efflavit. Quo? Deus optimè nosti! laudatus

tunc

tunc fuerat à Carolo V. Senatus Coloniensis ob insignem in fide Catholicâ constantiam, quòd non cessisset malignis arietibus, violenter impellentibus. Ad illos ipsos etiam Paulus III. Pontifex Maximus Pontificium Breve transmiserat, in quo totus fuerat in admiranda ejus Gentis constantiâ ad cœlos usque efferendâ. Sed unde hæc tua felicitas Orthodoxa Colonia? videlicet Magnam illam Matrem colis, quæ dum Solem Orbi progenuit, non ullas in te tenebras passa est. Coæva & collactanea es Divæ Virginis; nam eo tempore, quô Beata Virgo nata fuit, quæ Christum peperisse anno ætatis suæ 14 perhibetur, Colonia exorta est, anno videlicet ante reparatam nostram salutem XIV. sexto Saturnino, & Lucretio Vaspillone Consulibus, quod hoc programmate Germanico assignatur. *Programma* **Als Anna hat gebohren die seeligste Mutter** / *anagrama* **ist die Reichs-Stadt Cöln am erst angebauet.** Inde etiam contigit, ut in perpetuam ejus rei memoriam festum Nativitatis Beatissimæ Virginis in Sacello Senatorio ab omnibus Reipublicæ Coloniensis Patribus Conscriptis solemnissimè peragatur, & Senatores semper ante ingressum Curiæ Missæ, illibi celebrandæ, intersint; & qui ibi se præsentes non sistant, etiam in Curiâ pro absentibus habeantur. Es, es enimverò Orthodoxa Colonia altera Roma, tot Sacrarum Virginum Purpurata sanguine, Tres Reges de Saba venientes tuo veluti in Solio regnantes conspiciens, Triplicem etiam Coronam in insignibus gestans, quia Academiâ, Politicâ, & Ecclesiasticâ Hyerarchia insignis existis! cujus circuitus cum quinquies mille nongentis octuaginta novem passibus computetur, virtus tamen longè amplior existit. In quâ tot Sanctorum Catacumbos reperire est, ut ea laude reliquas Germaniæ urbes quàm longissimè antecellas. Ubi denique Munstero teste, tot Ecclesiæ, tot Sacella magnificè exsurgunt, quot dies in anno reperias. En! quot causæ, eæque prorsus insignes unà concurrant, cur Urbi Coloniensi, tantis in Ecclesiam meritis inclarescenti, Pontificiæ Nuntiaturæ prærogativa jure perquam optimo competat. Hinc Sanctissimi Patris Nuntius Bussius pro alterâ hac Româ, magnanimis Consiliis fortiter tuendâ, animosè stetit, non passurus, inter illa bellorum turbida alienis Sacris, militari veluti licentiâ latiùs extensis, inassuetos Aggrippinensium oculos everberari. Insignibus suis in eâ Nuntiaturâ luculenter exhibitis animi, ingeniique dotibus commeritus erat, ut ad Sacram Purpuram Anno 1712. 10. Maii advocaretur. Postea etiam hujus Principis, omnem fastum procul exosi precibus, à Clemente XI. facilè concedebatur, ut omni pompâ seposita, veluti Privatus, urbem ingrederetur. Nec tamen Solus venerat; sed suæ eum virtutes comitabantur, quarum satellitio instructus, multò gloriosiùs Romam intrabat, quàm si triumphali invectum curru, & ad celsa Capitolia delatum, Populus Quiritum aspexisset. Aspicit enimverò Sacra Roma ceu Sydus benignum in Ecclesiâ lucidum: miratur Colonia intemeratæ virtutis Virum, & qui demum Religioni posthabebat omnia. Ancona non jam rudis & informis, sed eo summo Pastore excultissima, suam sibi felicitatem, cùm Tantus Moderator ad clavum sedeat, aggratulatur.

No.

nem in fide Catholicâ
enter impellentibus.
ficium Breve transmiser
ntiâ ad cœlos usque effer
videlicet Magnam illa
n ullas in te tenebras pa
eo tempore, quô Be
s suæ 14 perhibetur, C
ram salutem XIV. sexto S
hoc programmate Germ
Die seeligste Mutter / anagra
Inde etiam contigit, ut i
Beatissimæ Virginis in Sace
Patribus Conscriptis solemni
um Curiæ Missæ, illibi cele
ant, etiam in Curâ pro absen
Colonia altera Roma, tot Sa
ges de Saba venientes tuo velu
tiam Coronam in insignibus ge
Hyerarchia insignis edita, cu
uaginta novem passibus compo
quâ tot Sanctorum Catacumbi
bes quàm longissimè antecel
cella magnificè exsurgunt, q
ue prorsus insignes unâ cont
neritis inclarescenti, Pontif
competat. Hinc Sancti
agnanimis Consiliis fortiter
orum turbida alienis Sacris
Aggrippinensium oculos ev
lenter exhibitis animi, inge
uram Anno 1712. 10. Mai
m fastum procul exosi preci
pompâ seposita, veluti Pri
erat; sed suæ eum virtut
ultò gloriosiùs Romam in
elsa Capitolia delatum, P
cra Roma ceu Sydus beni
eratæ virtutis Virum, & q
na non jam rudis & inform
ibi felicitatem, cùm Tanc
deat, aggratu-